

passoe, tra li qual io Marin Sanudo intrai di largo. Fu poi fatto eletion, tutto per do man di eletion.

Nota. Fu tolto di la Zonta sier Marco Antonio Contarini orator a la Cesarea Maestà qu. sier Carlo, et soi fradelli non volse fusse ballotà, ave modo non fo stridà a Conseio, cosa contra le leze, et *tamen* fo stridà eri in Pregadi, et forsi saria rimasto.

403 Clemens episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Scoto laico glasquensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Tuae devotionis exigentibus meritis Inducimur ut piis petitionibus tuis quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus. Cum itaque sicut nobis nuper exponi fecisti alias postquam ad nonnulorum emulorum et adversariorum ad certas terras et possessiones tibi iure hereditario pertinentes aspirantium, ac illis adherentium nonnullis per eos contra te confictis causis carceribus mancipatus et in illis detentus per triginta tres dies absque cibo et potu seu consolatione humana, sed solum a Domino nostro Jesu Christo et eius gloriosa genitrice Beata Maria Virgine ac Sancto Niviano episcopo et confessore in partibus illis in dies miraculis fulgente, consolatus permanseras. Et tandem cum ab huiusmodi carceribus relaxatus, ciboque et potu relictus fuisses, ac dicti emuli et adversarii te acrius prosequerentur, tu timens, tibi ab eis mortem inferri, metu mortis coactus, ad monasterium Sanctae Crucis ordinis Sancti Augustini, Sancti Andreae diocesis, ut ecclesiastica immunitate gauderes, refugere coactus fueris, et inibi auxilium ipsius Domini nostri Jesu Christi, et Beatissimae Virginis Mariae eius genitricis, ac praefati Sancti Niviani, in quibus fidem firmam semper habebas, ut ab huiusmodi angustiis et tribulationibus liberareris, devote invocando absque cibo et potu humano per centum et sex dies permanseris, ac interim si ab huiusmodi angustiis et tribulationibus liberareris, te sepulcrum Dominicum Jerosolimitanum ac loca Terrae Sanctae, nec non corpus et reliquias ipsius Sancti Niviani in ecclesia Candidae casae recondita devotionis et peregrinationis causa, visitaturum, et non carnem, nec pisces commesturum noveris, ac paulo post relaxatus et ire quo velles licentiatus, statim adhuc ieiunando corpus et reliquias dicti Sancti Niviani in dicta ecclesia Candidae casae a dicto monasterio per centum milliaria vel circa distante visitaveris, ac postmodum cibum et potum sumpsisses et confortatus iter tuum ver-

sus dictum sepulcrum Dominicum Jerosolimitanum per regnum Angliae, ubi plures adversitates passus, nos pium desiderium tuum huiusmodi in Domino commendantes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi et uni socio tuo per te eligendo sepulcrum Dominicum Jerosolimitanum et loca quaecumque Terrae Sanctae huiusmodi personaliter visitandi, et quae pro huiusmodi visitatione necessaria erunt nobiscum deferendi libera auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam impartimur. Et nihilominus ut iter tuum huiusmodi ad quod facendum vires tuae, ut a fide dignis accepimus non suppetunt facilius prosequi valeas, volentes Christiani fideles piis muneribus ad tibi subveniendum alligere, omnibus et singulis utriusque sexus Christiani fidelibus vere penitentibus et confessis, seu propositum confitendi habentibus, qui tibi et eligendo socio pro vestris victu, vestitu et hospitio ac sustentatione necessaria ministraverint, seu alias manus adiutrices porrexerint, et de bonis suis a Deo collatis pie erogaverint, quotiens hoc fecerint, totiens septem annos, et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus ac prohibitionibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostram impartitionis et relaxationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem attemptare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo trigesimo secundo, duodecimo kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno nono.

Frater BERNARDUS.

Vianesius Albergatus Bononiensis Candidis lectoribus, salutem. 404

Iniuria veritati incredibilibus in rebus profecto fieret, nisi qui res ipsas perspexerint eam testimonio apud absentes ac posteras iuarent. Igitur, cum reverendus in Christo pater dominus Silvester Darius Lucensis, Sanctissimi Domini nostri Clementis Papae Septimi, Rotae auditor, ac in praesenti apud Serenissimum Scotorum Regem Suae Sanctitatis et Apostolicae Sedis nuntius, vir excellentis doctrinae ac probitatis et prudentiae, mihique plures annos singulari amicitia iunctus per suas litteras significasset Johannem Scotum virum probum, ac inter